



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. i



I. N. J.  
DISPUTATIO VI.  
**SELECTARUM**  
**THESIUM**  
**JURIS CERTI & CON-**  
**TROVERSI**

Ex Tit. j. d. R. D. d. Reb: corp. & incorp.  
d. s. u. & R. P. d. Uſufr. d. Uſu & Hab: iisque  
Titulis π. C. Just. Theod: Libb: βασιλικ. & ξ.  
respondentibus.

*Quam*  
**PRÆSIDĒ**  
**JOHANNE CHRISTO-**  
**PHORO Solti/**  
J. U. D. & P. P.  
**JOHANNES FRIDERICUS**  
WIELKY, Reg: Bor.  
RESPONDENS  
publicè defendet  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
A. clo. I<sup>o</sup>c. LXXXI.

---

REGIOMONTI.  
PRÆLO REUSNERIANO.



V I R O  
PRAE-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ac  
CONSULTISSIMO,  
**DN. FRIDERICO**  
**KUPNERO,**  
Sereniss: Electoris Brandenb:  
CONSLIARIO GRAVISSIMO,  
CAMERÆ IN BORUSSIA MAGISTRO,  
<sup>nec non</sup>  
**BELLI - COMMISSARIO**  
benè merentissimo,  
**DOMINO SUO COLENDISSIMO,**  
PATRONO ac MÆCENATI CERTISSIMO,  
in  
ulterioris Benevolentiae incitamentum  
atque  
devotæ submissionis argumentum,  
Hoc qualemque  
**Specimen Academicum,**  
eâ, quâ par est, reverentiâ  
consecrat & offert  
humillimè  
Johannes Fridericus Wielky,  
Respondens.



## I.



titulis J. d. R. D. & A. R. D. d. Reb. corp. &  
incorp. d. Servit. Urb. & rust. præd. d. Usufr.  
ac de llsu & Hab: respondent in π. Tit. d. R. D.  
Lib. 41. Tit. 1. d. A. R. D. & Tit. 2. d. Acq. vel a-  
mitterda poss. nec non Liber VII. & VIII. in  
Cod. Justin. d. Acqu. & recin. possess. d. Alluv.  
& palud. d. Usufr. & hab: & minist: Serv. d.  
Servitutibus &. quā. in Cod. Theod: lex 5. Unde Vi. In libb. Basilius:  
lib. 46. Tr. 3. d. R. D. & qual. Lib. 50. Tit. 16. d. acquirendo per  
alluv: dominio Tit. 1. d. dominio variis modis per longam possessio-  
nem acq: Tit. 2. d. dominio per possessionem & detentionem & acq.  
eor. qui in nostra potestate sunt, acquirendo, Lib. 58. Tit. 1. usq; ad  
Tit. 7. inclusivè & in ḡ d. Eccles. ædificand. & repar. d. Se-  
pult. d. Immun. Ecclesiar. cœmit. & rer. ade. pertin:

II. Continetur in his titulis 1. divisio rerum, qua sunt aliae  
divini juris, ut res sacræ, religiosæ & sanctæ §. 7. j. d. R. D. l. 6. §. 2.  
l. 8. π. eod. d. l. 6. §. 2. 3. & 4. π. l. 7. §. 1. & 2. & l. ult. Basilius: eod.  
t. t. & d. Eccles. ædif. & reparand. d. Sepult: d. Immun: Eccles: &  
cœmit: vel humani juris, hæ sunt vel extra patrimonium, ut res com-  
munes §. 1. j. d. R. D. l. 2. §. 1. π. & Basilius: eod. publicæ §. 2. j. d.  
R. D. l. 4. §. 1. π. & l. 3. Basilius: eod. & Universitatis §. 5. j. d. R. D.  
l. 6. §. 1. π. & l. 5. Basilius: eod. vel in patrimonio, quæ in singulo-  
rum hominum possunt esse dominio, cuiusmodi acqvirendi J. G. ex-  
plicantur in §. 11. 12. 13. & seqq. usq; ad fin: j. d. R. D. t. t. π. d. A. R.  
D. t. t. π. & C. Just. d. A. P. t. t. C. Just. d. Alluv: & palud: lex 5.  
C. Th. Unde Vi. t. t. Basilius: d. Dom: Acquir: & tit: seq: d. dom. e.  
qv. in n. pot: sunt acq: 2. Altera Divisio, quāres sunt vel corpo-  
rales vel incorpores t. t. j. d. Reb. corp. vel incorp: ad res incor-  
pores referuntur Servitutes tūm reales t. t. j. d. Servit: præd. Urb.  
& rust. t. t. π. d. Servit: d. S. ll. P. d. S. R. P. Comm: præd: tām-  
urb. quām rust: Si Servit: vind. vel ad al. pertin. neg: Quemadm.  
Serv. amitt: t. t. C. Just. d. Serv: & aq. t. t. Basilius: d. Servit. d. S. ll.  
P. d. S. R. P. d. Comm: præd. Si Servit: vind: Quemadm. Serv:  
amitt: d. Servit: & aq. tūm personales t. t. j. d. Usufr. d. llsu. &

A

Hab:

*Hab: t. t. n. d. IIsuf. & quemadm. quis ut: d. IIsuf. acer. Qu. di. IIsuf. leg. ced: Quib. mod. IIsusfr. vel IIsus amitt. d. IIsuf. ear. rer. q. us. cons. vel min: Si IIsusfr. pet. vet ad al. pertin. neg. p. t. t. C. Justin. d. IIsuf. & Hab. in βασιλ: Tituli π. repetuntur.*

III. Res sacræ dicuntur, quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt §. 8. j. d. R. D. Dicitur etiam locus publicus sacer, quando Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem l. 9. §. 1. &c. eod. Vel quia olim per summum Magistratum facta est consecratio, præeunte tamen Pontifice Maximo præfame carmen. *Alexand. Neapol. l. 6. c. 14. & l. 5. c. 8. Liv. l. 2.* Vel quia principes ipsi olim simul Pontifices maximi fuere *Dio lib. 53. hist. Zosim. lib. 4. Hist. eoque modò idem quod in §. 8. j. dicitur per Pontificem esse consecratum*, dicitur quoq; in l. 9. §. 1. π. eod. quia tum Princeps erat Pontifex *Bachov. ad τερτ. p. 278. Hahn. ad tit. d. R. D. in observ. heor. pract.*

IV. Variæ Sectæ atq; Gentes sepulturam contempseré, Theodori nihil interfuit, humine an sublime putrescat *Cic. i. quest. Tuscul. Senec. d. tranq. anim. Diogenes se inhumatum abjici jussit. Stob. serm. 122. Demonætes jam moriturus avibus objici sele præcepit, ut & mortuus alicui usui esse possit. Erasm. l. 8. Apophtheg. Zisca Hussitarum Dux mortuo sibi pellem detraherent, relictoq; feris cadavere ex cute tympanum, quo in præliis uterentur, faciendum præcepit, ut hostes sicut vivi ipsius aspectum fugerint, ita nec mortuū sonum audire valerent. Æn. Sylv. l. 3. d. Reb. gest. Alph. Seneca ep. 92. statuit, ut quo receptaculum suum conferretur, ignis illud exureret, an ferae detraherent, an terra contegeret, nihil magis ad se, quam secundas ad editum infantem pertinere. Parthorum sepultura aut avium aut canum erat laniatus, & ossa tantum terrâ obruebant teste Justino l. 41. c. 4. Iberi & Hircani defunctorum cadavera vulturibus & canibus sepulchralibus objecerunt *Sil. Ital. l. 11. Pun. De Caspiis idem notat Porphyry. lib. 4. οὐ τὸν ἐμψύχων διποχῆς. Chii combustis cadaveribus in mortario ossa contundebant, eademque imponentes navigio in altum navigabant, ac cribro ad ventrum flatus dispergebant. Essedones Scythiae populi parentum suorum cadavera dentibus laniare, pecorumq; carnibus mixta convivis apponere solebant, teste Luciano οὐ πένθεσ. De Uxoribus Thracum**

cum eas ad mariti funus mactatas fuisse refert Herod. in Terpsichore his verbis: *Singuli plures uxores, quorum ubi quis decessit disceptatio magna fit inter uxores, acri amicorum circa hanc rem studio, quenam dilecta fuerit a marito praecepit.* Quæ talis judicata est & hunc honorem adepit, ea a Viris & mulieribus exornata ad tumultum a suo propinquissimo mactatur. Sed hos Philosophos & Populos feris animantibus esse feriores aque ratione quam maximè recessisse est extra controversiam. Sicut enim nullum in homine est factum laudabile, cuius non vestigium author Naturæ in aliquo animalium genere posuit, ita & sepeliendi studium sanctè inter quædam servavit, de apibus testatur Virgil. 4. Æneid. Plin. l. II. c. 18. Delphinos simulac cadaver conspicunt ad sepulturam tollere author est Plin. l. 9. c. 8. Idem de formicis & hirundinibus asserit l. II. c. 19. Ælian. l. 5. c. 49. Plutarch. lib. utr. anim. plus rat. hab. quam aquat. Grues sepulturæ operam dare docet Ælian. l. 2. c. 1. Etsi verò instinctus quibusdam feris animantibus insitus non ita rationi humanæ commendetur, ut per modum præcepti juris naturæ sit necessarius, nihilominus tamen debetur id defunctis ex humanitate, misericordia & pietate tanquam naturale debitum l. 14. §. 7. π. d. Relig. humanum atque pium est sepelire defunctos l. 9. C. d. Hæret.

V. Hujus pietatis Græci studiosissimi fuere, quippe apud quos lex erat, ut si quis in insepultum cadaver incideret, omni parte id terrâ obrueret, & ad occasum spectans sepeliret Ælian. l. 5. c. 14. Et apud Ebreos Pontifex Maximus, licet alioqui rei ulli funebri interesse vetaretur, insepultum tamen repertum sepelire jubebatur H. Gr. d. I. B. & P. l. 2. c. 19. §. 13. Imò apud Romanos tanta fuit cura in sepeliendis corporibus, ut hereditate eum indignum judicarent, qui defunctum non debite sepeliisset l. hereditas D. d. Herpet. l. militis C. eod. Nostris moribus privatus propriâ authoritate locum sepulturæ destinare & Religiosum facere nequit, quia locis publicis utimur, & regulariter jus sepulturæ Ecclesiæ debetur paræciali, in quâ quis Sacraenta recepit, & verbum Dei audivit c. i. §. d. Sepult. Consecratio apud Pontificios competit Pontifici c. 7. c. f. §. eod. ut ita, juxta eorum sententiam, arceantur immundi spiritus & Dæmones, quos corpora mortuorum frequentare credunt Tholos.

*I. 2. c. 13. n. 2. Clariss. Dominus Struv. E. 3. θ. 72. Gerhard. in loc.  
Theol. loc. d. mort. §. 81.* Apud Nostros politicum censetur esse jus  
constituendi cæmiteria *prælaud.* *Dominus Struv.* d. l. Sed consti-  
tuebantur apud Romanos extra mœnia, nam *L. XII. Tabb.* homi-  
nem in urbe nec concremari nec humari præcepit *Kirchm.* l. i. c. 1.  
*Cic.* l. 2. d. *Legib.* ne aër in urbe & imprimis in templis conclu-  
sus vaporibus è sepulchris exhalantibus vitietur. Halitus enim tan-  
tò copiosiores exhalant, quantò locus est conclusior, obq; frequen-  
tiam hominum tepidior. Imò arena & terra, in quâ plurima mor-  
tuorum cadavera computruerunt, tota est imbuta materia fœtida,  
quam apertis sepulchris ad vivos exhalare necesse est *Kecker. System.*  
*pol.* l. i. c. 13. Sed hodie etiam intra mœnia & plerunq; in tem-  
plis constituuntur, ut Cognati, quoties ad sacra veniunt, suorum re-  
cordari, sepulchra eorum amplecti, inque illa lachrymas profunde-  
re queant *N. Leon.* 53. quod si sepeliri prohibiti de facto sepelian-  
tur, ossa eorum exhumari jubentur c. *Sacris* 12. & d. *Sepult.*

VI. Non desunt rationes probabiles illis, qui maris liberta-  
tem defendunt, quia Oceanus immensus & infinitus nullis limiti-  
bus naturâ aut manu positis, sed imaginariâ saltem lineâ dividi po-  
test, quod si verò talis dimensio ad possidendum sufficit, jam dudum  
**Nobis Geometræ terram, & Astronomi cœlum distribuere & eripe-**  
re potuissent; Ex hac libertate sequitur, ut liceat cuivis Gentil quam-  
libet aliam adire & cum eâ negotiari, Deum ipsum per naturam  
loqui ajunt, quæ cuncta quibus vita indiget, omnibus locis non sup-  
peditavit, artibus etiam aliis alias gentes excellere voluit, sed quo  
ista? nisi ne singuli se putantes sibi ipsis sufficere, hoc ipso redde-  
rentur insociabiles. *Hugo Grot.* in tract. d. mar. Lib. *Martinus Schoo-*  
*kius in tr. d. Imp. mar. c. 2.* Magis tamen & firmius concludunt  
rationes pro imperio maris allatæ à *Clariss. Domino Strauchio in*  
*suâ aureâ Disp. d. Imp. ma:* quæ etiam per multa secula apud Reges  
& Principes nec non Respubl. valuere, ut nulla gens mari vicina fu-  
erit, quæ non libertatem maris minuere, sibi imperium vindicare  
& vectigalia ei imponere ausa fuerit, sicut testatur *d. Schookius d.*  
*imp. mar. c. 3. 4. & seqq.* de Cretensibus, Lydiis, Pelasgi incolis,  
Thracibus, Rhodiis, Phrygibus, Phœnicibus, Tyriis, Ægyptiis, Mi-  
lesiis, Lesbiis, Phocensibus, Eretriensibus, Æginetis, Romanis, Gal-  
lis,



lis, Anglis, Hispanis, Lusitanis, Danis, Svecis, Magno HetruriæDuce, Venetis, Genuensibus, & Belgis. Huc faciunt *Seldeni libb. d. mar. claus.* cui *Job: Isa: Pontanus* in nonnullis contradixit. *H.Grot. d. j. B. & P. in not. ad L. 2. c. 2. §. 2.* eum vocat Decus seu honorem Britanniæ, sed sententiam ejus modestè notat, dicens: eum contrariam sententiam proposuisse non in mari clauso, sed in Thalassocratico. *Julii Pacii Discept: d. Dominio mar: Adriat: Jacob. Gothofredi Diss. d. Imp mar. Tractatus hoc Seculo editi de Dominio maris Baltici Regi Danie subiecto & Discursus de teloneo marino affectato cum refutatione.*

VII. Dominium divinum ad naturæ & gratiæ ordinem relatum à *Dominic: Bannes. Mandragon.* q. 62. præamb. q. 2. præterimus & descendimus ad illud quod est jus perfectè omni modo & propriâ authoritate re sua utendi, quia hoc est proprium perfecti dominii posse re suâ uti & abuti sine cujusquam injuriâ, eo modo, quo libuerit eam vendendo, donando, abjiciendo aut destruendo, si non vi aut Lege prohibetur, quia licet dominium naturâ tales sit, ut tribuat potestatem ad quemcunq; usum, tamen hæc potestas vi aut Lege aliquando ligatur, ne possit in actum prodire, nec inde oritur aliqua contradictione, ut quis habeat jus perfectè disponendi de re suâ, & tamen non liceat ei disponere, quia aliud est jus disponendi, aliud actus disponendi. Jus manet integrum, solus actus prohibetur *Leff. d. Jure & Justitiâ c. 2. q. 1.* Distinctio dominii directi & utilis juris Authoribus incognita est, nec verbis aptis & convenientibus concepta, cum directum & utile commode quidem ad *Actiones*, non verò ad dominium applicentur, nec ulla inter Domina detur differentia quoad effectum sed saltem quoad subiecta; ideo optimo jure ferri potest *Dominium eminentis*, quod strictè pro potestate tantum in res Subditorum accipitur & generatum est ortâ Civitate, ut scitè *Grot. d. j. B. & P. L. 1. c. 4. §. 2.* ait: Civilis Societas ad tuendam tranquillitatem instituta statim Civitati jus quoddam majus in Nos & nostra nascitur, quat. ad finem illum id necessarium est: & *L. 2. c. 5. §. 13.* Confociatio quâ multi patres fam. in unum populum & Civitatem coeunt, maximum dat jus corpori in partes, quod Majestati virtute dominij eminentis ad conservacionem Reipubl. competit.

VIII. Si



VIII. Si quis à non Domino, quem putat Dominum, rem aliquam emit b. f. possidet Usucapio procedit pr. j. d. Usuc: si verò resciscit, se rem à non Domino emisse, definit civiliter incipitque naturaliter possidere, nihilominus pergit possidere & Usucaptionem absolyit l. 48. §. 1. π. d. A. R. D. Si verò circa initium contractus scit alterum non esse Dominum, vitiosam statim consequitur possessionem, cuius vitium semel contractum perdurat, & successorem authoris sui culpa comitatur l. 11. C. Just. d: A. & ret. P. quæ Lex ex l. 5. C. Theod. postremis verbis adjectâ voce *possessionum* à Triboniano est desumpta.

IX. *Apprehensionis* species esse modos acquirendi I. G. est indubium, sed de plerisq; speciebus *Accessionis* multi dubitant, ut in foeturā animalium partus ventrem sequatur l. 5. §. 7. d. R. V. non esse naturale ait Grot. d. j. B. & P. l. 2. c. 8. §. 18. Natura enim sexuum corpora miscet, ut ita de utraq; parte sumptā confundat, & commune utrisq; reddat quod nascitur, ita ut neuter possit quid suum sit, quid alienum discernere. Verū Resp. fœtus aliquando pars matris nunquam pars patris fuit, & in brutis animantibus longè magis æstimandum, quod mater quām quod pater confert. Nam non est hic pertractanda q. *physica*, vaccae magis an taurō imputari possit, ut existat vitulus? sed q. *juridica*: an is magis ad illius, an ad hujus Dominum pertineat? Atqui patris operā parum aut nihil Domino decedit, mater autem dum uterum gerit ad alia ferē est inutilis & sollicitè alenda, ideo de jure præfertur Dominus matris Domino patris Zieg. ad H. Grot. d. l. Pufend. d. J. N. L. 4. c. 7. §. 4. Idem Grotius l. 2. c. 8. §. 22. ait: *Implantationem, Sationem & Inædificationem* non tribuere dominium ex I. G. Domino soli statuit, quia sicut ex alimento jus quoddam in rem soli Domino nascitur, ita Domino seminis plantæ & arboris jus suum naturaliter non perit, & idem de ædificio cuius partes sunt solum & superficies affirmandum esse putat. His tamen non obstantibus ratio sua Legibus Romanis constat, quæ non hoc volunt, ut Dominus seminis plantæ vel ædificii si b. f. egit rem suam amittat, nec prohibēt, ut si utraq; pars velit in communione manere maneat. Sed quia Leges nolunt aliquem cogere, ut invitus quis in communione permaneat, & vero istæ res divisionem non commodè admittant, nec extra solum servari



servari queant, ideo in congruum visum plantæ alicui temporalis so-  
lum immobile cedere. Ut tamen Dominus soli Domino seminis  
plantæ vel ædificii in b. f. constituto pretium persolvat. Paria no-  
tata circa texturam H. Grot. d. l. & c. §. 21. quibus respondet Pufend.  
d. l. & c. §. 9. Excusari tamen potest H. Grotius, qui hæc ideo no-  
tavit, ne quis I. G. voce repertâ id jus intelligat, quod mutari ne-  
quit, sed diligenter distingvat naturalia præcepta ab iis, quæ pro  
certo rerum statu sunt naturalia. Hodiè in apprehensionis titulo  
tùm quoad Venationem, Piscationem & Inventionem à Jure Civili  
est recessum. Venatio inter Regalia refertur, nec aliter illud priva-  
ti possident quam per privilegium vel præscriptionem tanti tem-  
poris cuius initii memoria non extat. Mynsing: cent. 5. o 29. cùm  
scientia ac patientia adversarii, per quam inducitur possessio Ser-  
vitutis pro traditione habeatur l. fin. D. d. Servit. qui verò nec ex  
privilegio nec præscriptione jure venationis utuntur illo abutuntur,  
& poenam incurront à Majestate præfinitam, quam quidem Majes-  
tas pro arbitrio exacerbare potest, quoties multis personis gras-  
santibus exemplo opus l. 28. §. f. π. d. pæn. sibi tamen non malè  
consulet, si eam ad mortem non extenderit, licet enim judex qui  
extra ordinem, quamcunq; velit sententiam ferre, possit, vel gravi-  
orem vel leviorem tamen utroq; modo rationem excedere non de-  
bet l. 13. d. pæn: sed secundùm rationem poena debet convenire  
delicto l. 11. d. pæn. ac moderanda ad modum culpæ, ne Stoica de-  
lictorum æqualitas introducatur. Pythæus in fragm. Coll. ll. Mosait.  
sit. 1. Sed inter poenam capitalem gladii vel laquei & captam be-  
stiam nulla est proportio. Nec obstat l. 2. de Abigeis, quia in hoc  
crimine præter furtum vis publica committitur l. 1. §. 1. eod. Pisa-  
tionis quoque reditus Regalibus annumerantur, nec sine Privilegio  
in fluminibus ac rivis alicui piscari concessum, etsi enim Jure Prut.  
Prov. videatur adhuc jus piscandi esse commune, ex verb. L. 3. T. 1.  
§. 3. Dann es ist das Meer sammt dem Ufer und dessen Gestaten allen  
lebendigen Creaturen gemein/ darumb mag zu fischen oder etwas anders  
zu suchen niemand verboten werden. Restrictio tamen sequitur in  
verb. §. seq: Jedoch sol vorgedachte Freiheit in den gemeinen Wäss-  
fern zu fischen auf keine Flüsse/ Wasserbäche noch einige See- Teiche  
oder Hölle &c. Recte tamen Academia nostra R̄giomontana ex  
speciali Privilegio, cujus verba: Und mehr sollen offigenand der Unser  
Universität



Universit t Professoren und Verwandten Macht und Gewalt haben in dem ganzen Pregel/ unsere J gen ohn einigen Abbruch/ zu ihrer Tische Nohtdurft mit allerhand Gezeuge zu fischen von jedermanniglich unghindert. sibi vindicat, & ben  rei su  familiari consuleret, si hoc Privilegio uteretur. In Comitatu Tyrolensi quoad piscandi jus hiscautum: Es m gen die Unterthanen eigner Persohn die grosse Wildsee und alle grosse freye fliessende Wasser mi dem Angel oder der Ruhren von freyer Hand zu ihrer selbst Hauses Nohtdurft und nicht zu verkauffen fischen. Ordin. Tyrolens. l. 4. t. 6. Civitas Bremensis jus piscandi in Flumine Visurgi   Lun burgensi oppido Haja usq; in mare exercet. Genev  in lacu Lemanio Civibus Genevensibus pescari liberum est, ast in Rhodano, ubi majores truttae tempore autumni & hyemis capiuntur, ipsis sever  interdicium est, sic Serenissimus noster Princeps Elector   Prusiae Dux capturam piscium aliis pro certa pensione locat, & quidem jure, quia Jus Naturae non voluit, ut res communes semper tales manerent, sed voluit, ut saltem pro certo rerum statu communes essent, & Magistratus dispositio eis accederet, ita ne liceat pescari, quando semen aut f tum emitunt, ne liceat certis machinationibus extrahere, quibus non sol m piscium copia exauritur ac aquae insciuntur, ut progign ndis piscibus inhabiles redduntur. Ad Regalia quoq; referuntur pretiosi latiosi lapides & gemm  in mari inventae. Sic succinum in Prussia Ducali non relinquunt inventorii, sed Regalibus Serenissimi Electoris annumeratur P R. l. 3. T. 1. a. 3. S. 3. Gedanenses quotannis magnum capiunt lucrum ex collectione succini in der Danskiger Meering. Battavi in India Orientali non permittunt nautis gemmas & pretiosos lapillos comparare, sed inquirunt in reversorum scrinia, priusquam navibus efferuntur. ne hoc lucrum Dominis pr ripiatur. Gryphiand. l. 1. acon. leg. c. 20. n. 18. Episcopus Passavensis in ripis fluminum Isl , Dies & Eler positione furcarum unionum fures terret. De thesauris Grot. l. 7. c. 8. n. 7. d. j. B.   P. dicit Germaniae populos thesauros Principi addixisse, & id jus quasi commune & Gentium esse. Nam & in Germania & in Anglia, Gallia, Hispania & Dani  id observatur. Et Arnis us in tr. d. jur. Majest. l. 3. c. 6. n. 23: express  scribit, hanc consuetudinem, qu  Regibus & Principibus thesauros ex alse concedit totum fer  mundum occupasse.



passe. Ad stabiendum hujus rei justitiam variæ rationes quæruntur: quia qui sepelit pecuniam & intra viscera terræ abscondit, peccat contra Constitutiones l. 4. §. 6. n. ad L. Jul. Pecul: qui textus ad recondita in monumentis propriè spectat, vel quia Fisco tributa pecuniæ reconditæ non solvuntur. Sed hæ rationes adeo prægnantes non sunt, ut ex iis Regibus vel Principibus thesaurus casu vel fortuito in suo vel alieno fundo à privato inventus totus debeatur. Vindicant sibi tamen locum, si thesaurus artibus magicis & superstitionis inventus fuerit, hujusmodi enim ars non solùm Lege divinâ prohibita est *Exod.* c. 22. *Levit.* c. 19. & 20. *Deut.* c. 18. & Christiana pietate teste *August.* l. 4. *Confess.* c. 3. Verùm & humanis & positivis statutis per omnes ætates longè rejecta & odio, habita apud omnes ferè nationes. Apud Ebræos constat *Reg.* l. 1. c. 28. & l. 4. c. 23. Apud Romanos testatur *Corn.* *Tacit.* l. 2. *Annal.* facta fuisse SCTa de Mathematicis Magisq; Italia pellendis. Apud Scythas *Herodian.* lib. 4. idq; in sua Rep. svasit Plato lib. 11. d. Legib. quia solebant magi aut hujusmodi generis superstitionis homines Dæmonis invocatione & auxilio thesauros quærere. *Lucian.* in *Pseudomonant.* *Pollicentur malorum immisiones in hostes thesaurorum*, *adminicula & hereditatum successiones.* Authorq; est Glycas in *annalib.* 4. & *Cedren.* in *Anastas.* Chabadem Persarum Regem cùm accepisset in confinio Indiæ & Persidis esse thesaurum opulentum in arce Tzudarensi, eò cum exercitu profectum, magos adhibuisse, quos Dæmones repulerunt, moxq; ab Episcopo, qui divina ministeria eodem loco peregerat, fugatis Dæmonibus thesaurum repertum esse. His artibus, non male quidam præsumunt Equitem illum Romanum Neroni promisisse immensas illas Didonis Reginæ opes, quas secum exportavit in Africam, ubi vastissimis & profundis spe cubus recondiderat, licet id irrito conatu acciderit Neroni. *Svet.* in *Ner.* c. 32. & 33. *Tacit.* *Annal.* l. 16. Est enim certum Dæmonem ex permisso Dei posse Cultoribus sui thesauros concedere *M. Delrio lib. 2. disq. mag. q. 12. n. 10. Torreblanca de Magia l. 2. c. 13. n. 45.* qui referunt Dæmones asservare ingentes thesauros ad hominum seductionem; sed ita seducti homines ex actu illico & Legibus reprobato nîl lucrari debent. *Covarr.* in *Reg. peccatum 3. part.* §. f. num. 2.

B

X. Res

X. Res corporales, quæ si non actu, sui tamen naturâ & potentiâ tangi possunt, & sunt vel immobiles vel mobiles, mobiles sunt vel in specie mobiles vel se moventes l. 15. §. 2. d. Re jud. l. 79. d. Leg. III. pr. j. d. inutil. Stipul. l. 93. d. V. S. l. 1. d. Ædit. Edict. Althus. Dicæolog. l. 1. c. 1. n. 17. Bocer. class. 5. Disþ. 15. 6. 3. Res incorporales neqve mobiles neqve immobiles sunt, quia non sunt corpora, sed corporum accidentia, & sui natura tangi & videri non possunt, sed tantum intellectu percipiuntur l. 1. §. 1. d. R. D. & Qual. & ideo tam à mobilibus quam immobilibus separandæ l. 2. C. d. Quadr. præscript. referuntur ad res mobiles vel immobiles, quia iis adhærent. l. 2. §. 1. l. 4. §. 1. l. 72. l. 85. d. V. O. Berlich. p. 3. concl. 33. Bocer. class. 5. Disþ. 15. 6. 25.

XI. De spatio viæ nullum est certamen, quia ejus latitudo L. XII. Tabb. definita est in porrectum octo pedum, in anfractum sedecim pedum l. 8. D. d. Ser. R. P. Actus latitudo non est quidem ita expressè determinata, Varro tamen lib. 4. d Ling. lat. ait: Latitudinem actus fuisse quatuor pedum. Itineris vero latitudinem duorum pedum. Sed de genere usus certamen est inter JCTos. Qui actum habet inquit Paulus & plaustrum ducere & jumentum agere potest l. 7. pr. d. S. P. II. Modestinus inquit: Actus est ubi & armenta trajicere & vehiculum ducere liceat l. 12. D. eod. Et Marcellus: is cui via vel actus debebatur, inquit, ut vehiculi certo genere uteretur, alio genere usus fuerat l. II. D. Quemad. Serv. am. quinimo interdum iter & actus appellari videntur, quæ priùs dicebantur Via & Actus l. pen. π. de Evid. At Pomponius & Ulpianus actum jumenti, viam vehiculi propriam esse putarunt, ut quemadmodum iter est proprium peditum & equitum, sic actus proprius esset agasonum & mulionum, via vero aurigarum l. 13. π. d. Servit. l. 1. §. 1. d. S. R. P. In hac Lege Hott. o. l. 2. c. 21. verbum ambulandi mutavit in avehendi in definitione viæ, quia eundi verbo satis perspicue ambulatio continetur, sed non proprietas viæ, quæ in vehendo consistit. Existimat vero certamen JCTorum ita componi posse, ut Ulpianus & Pomponius verborum proprietatem secuti sint, Paulus autem & Modestinus loquendi consuetudinem in vulgus receptam.

XII. Aqueductus alias publicus alias privatus est. Publicus fit



fit ad publicum vel Reip. usum, quales aquæductus adhuc hodiè habent Urbs Roma, Resp. Genuensis, Augusta & Ulma, ubi dicitur aqua in Civitatem, & per Civitatem ad castella & fontes publicos salientes & fistulis aquam fundentes, vel etiam ad ædes privatas fistulis, rivo, tubulis, item per lapidem stratum aliisque modis, quorum etiam Leges meminere l. 78. π. d. Contrah. Empt. t. II. §. ult. π. Comm. præd. l. 38. §. ult. π. d. Act. Empt. De his aquæductibus & modis aquæ ducendæ eruditè scripserunt M. Vitruvius l. 8. d. Architect. c. 6. & 7. Pallodius lib. 9. c. 21. Sed hic aquæductus publicus non est Servitus, quia aqua publico usui destinata est, & Principis tantum vel communitalis concessione habetur & privatis conceditur, etsi concessio facta est personæ, Successori à Principe renovandum est hoc beneficium, quod si successor non impetravit, injuria dicitur l. 1. §. Si ex castello q. d. aq. quot. & aestiv. Aquæductus privatus fit ad fundum nostrum & usum privatum per fundum alterius, seu ut Ulpian. in l. 1. in f. pr. π. d. S. R. P. ait: Aquæductus est jus aquam ducendi per fundum alienum ad irrigandæ prædia rustica l. hoc jure 3. in pr. π. d. aq. quot. & aestiv. potest haberi pecoris causa d. l. 3. in pr. vel amoenitatis tantum gratia in l. 3. π. eod. l. 37. d. S. R. P.

XIII. Sæpè contingit, ut in meo fundo aqua erumpat, quæ ex vicino fundo venas habet, has venas, si vicino non sit Servitus imposita: ne venas incidat, neq; me prohibeat. Si quid facere velim, ut aqua, quæ debetur per venas, erumpat, licet vicino incidere, ita ut definat aqua ad me pervenire, l. si in meo 21. π. d. aq. & aq. pluv. arcend. Solet etiam controverti, an aquam in meo natam sistere queam? Ratio dubitandi præsertim, si ita semper tempore immemorali fluxit, est hæc: quia aquæductus, cuius origo memoriam excessit constituti juris loco habetur l. 3. §. 4. π. d. aq. quot. & aestiv. & tempus immemoriale habet vim tituli & privilegii c. super quibusdam §. præterea d. V. S. Ratio tamen hæc per aliam tollitur, quia cuilibet in suo hactenus facere licet, quatenus nil in alienum immittit. l. sicuti §. Aristo π. si Servit. vind: is verò nihil in alienum immittit, qui aquam sistit, coërcet, & ejus flumen impedit. Casp. Manz. d. Servit. P. II. & R. ad Tit. 3. q. 51.

XIV. Aquæhaustus est jus aquæ hauriendæ ex flumine, fon-

te vel puteo, vel aliâ vicini aquâ, quatenus pro utilitate fundi opus est. Coras. ad rubr. d. Servit. n. 126. debet tamen modum haustui dictum observare arg. l. præses 6. C. Serv. & aq. arg. l. qui lumenibus u. π. d. S. P. II. nec potest alteri haustum cedere l. cùm es- sent 33. §. 1. π. d. S. R. P. Haustum concessio iter quoq; ad haurien- dum concessum esse videtur l. 3. §. 3. π. d. S. R. P. quia uno conces- so omnia illa concessa videntur, sine quibus concessum explicari non potest l. 2. π. d. Jurisd: quæ regula in materia Servitutum sin- gulariter obtinet l. 1. §. 1. π. Si Uſusfr. pet. l. iter 10. π. d. Servit: l. u. §. 1. π. Comm. præd: Tantam autem affinitatem habent jus hauriendi & adeundi, ut si quis tantum facultatem adeundi conces- serit ad fontem vel puteum etiam hoc ipso jus hauriendi conces- sisse videatur. l. 3. §. 3. d. S. R. P. Casp. Manz. d. l. q. 56.

XV. Pecoris ad aquam appulsus est jus pecoris ad vicini aquâ appellandi, ejus adaquandi gratia l. 1. l. 4. & 5. π. d. S. R. P. quod si plura quam conventum est pecora ad aquam appelluntur, prohi- beri, quæ ultra numerum sunt, possunt l. 1. §. 18. π. d. aq. quot: Sine Servitute pascendi constituta pascere in alieno non licet, nam herbæ agri mei meæ sunt l. 9. l. 7. §. ult. d. A. R. D. l. 49. §. 1. π. d. R. V. Ratio à simili deducitur, quia nec aucupium facere licet in invito Domino, quod minus est l. Divus. 16. π. d. S. U. P. ideo neq; milites de jure communi eam facultatem, quam sibi hodiè arro- gant, pascendi equos in privatorum prædiis habent l. 2. d. pasc. pub. & priv. Si aliquis proprio ausu sine servitute constitutâ eqvum aut aliud pecus in alienum prædium pascendi causâ immiserit, illud de jure communi, non ita ut hodiè de praxi, licet includere, uti Pom- ponius l. 39. π. ad L. Aq. respondit: si quis pecus alienum in suo agro deprehenderit, illud nullo jure includere potest, quia si quid ex eâ re damnum cepit, habet proprias actiones, veluti utilem Actionem L. Aquil. vel de pastu pecoris d. l. 39. l. qui servandarum 14. §. f. π. d. præscript. verb. vel de pauperie l. 1. & t. t. π. Si Quadr. paup. fec. dic: non debet igitur sibi propriâ authoritate jus dicere. Nec obstat ratim, quæ vi fluminis in agrum delata est, à Domino tam- diu retineri posse, donec de præterito damno alter ei caveat, quia magna est diversitas inter ratim & pecora, nec enim ratis præter custodiam aliquid requirit, pecora autem majorem exigunt curam,

&



& majus in retentione versatur periculum, quia citius pereunt animalia, quam aliæ res, quando in alieno stabulo ignotis personis committuntur *Casp. Manz. d. tr. q. 63.*

XVI. Ab hâc Servitute pascendi fecernunt hodiè receptum (differens ab eô, cuius fit mentio in *I. pen. si Serv. vind.*) jus compascui die Koppel-Weide quod est quando duo pluresvè vicini ex familiaritate in prædiis & territoriis suis sibi invicem mutua pascua concedunt. *Covarr. pr. q. 31. n. 6.* Acquiritur verò in his compascuis fundis solùm jus, ex quo uterq; vicinus habet facultatem in alterius sua pecora pascendi quamdiu alteri visum fuerit, adeoque ab unâ vel alterâ parte separatim propriis pascuis uti volente revocari potest *Carpz. p. 2. c. 41. d. 9.* Hæ Servitutes sunt prædiorum, nam idè pecus ad aquam appellimus, aquam haurimus & pecus pascimus, ut ipsum potet & edat, quæ non hominum sed prædiorum utilitas est, utpote quorum utilitas seu fructus maximè in pecore consilit *I. 4. d. S. R. P.* Nec oblitat *I. Mela* §. f. d. *Alim. & cib. leg.* Anth. Matth. in not. & animadvers. ad §. inter rusticorum *d. S. R. P.* & II. hunc locum mendosum esse putat, & restituendum ex autoritate *Hug. Don.* ita: Nam & haustus aquæ & pecoris ad aquam appulsus, Servitus est. Personæ tamen ejus, qui vicinus non est, utiliter relinquitur vel authore *Longovallio* in *I. imperium D. d. Jurisd:* hoc modo: Est Servitus per se, non tamen ei, qui vicinus non est, inutiliter relinquitur Magis tamen Nobis arridet distinctio Clariss. Domini Struvii *Ex. 13. θ. 28.* dicentis: *Sunt enarratæ Servitutes reales & rusticæ, quando spectant utilitatem prædiorum rusticorum, & que inibi aluntur pecorum I. 4. d. S. P. R.* Sunt verò personales, cum non ad prædii sed personæ utilitatem tendunt, ut si jus aquæ hauriendæ ex fonte alieno quis habeat, qui utatur ad potum vel coquendos cibos *I. 14. S. f. d. Alim. leg.*

XVII. Servitutes urbanæ cum rerum distinctione ortæ sunt; Domus inquit Arist. 1. Oecon. 6 aptanda fuit ad facultates, ad sanitatem & incolentium usum. Ad facultates, ut convenienter fructibus, vestimentis, mercibus, ut interdum loca ventis exposita sint, alia apta Servis, Liberis, Mulieribus, Viris, Hospitibus, Civibus. Ad sanitatem, si domus æstate venis, & hyeme Soli exposita. Sed

B 3

quomodo



quomodo quis singulas has commoditates ædium habere potest, nisi vicinarum ædium prædiorumve Dominos in auxilium vocet. Inde jus stillicidii ortum, cum nemini liceat, stillicidium seu tectum suorum ædificiorum in aream aut fundum alienum extendere, nisi servitus pactionibus constituta sit §. 1. & 4. j. d. S. P. II. & R. I. 2. D. d. S. P. II. quâ non constituta compelli quis potest per vicinum, ut aquam in plateam publicam derivet I. 1. d. S. II. P. Constituta verò Servitus est vel stillicidii avertendi i. e. derivandi in tectum vel aream vicini, quæ affirmativa dicitur, quando scil. vicinus pati tenetur, ut ex tecto meo aqua pluvialis stillatim cadat, vel stillicidii non avertendi. Est enim aqua, quam recipit vicinus ex vicini tecto, ipsi oneri & commodo. Priori casu constituta est servitus stillicidii recipiendi scil. respectu prædii servientis, quod guttas è tecto carentes ex nostro tecto vicinus suscipere cogitur in suo tecto vel area I. 2. 20. §. 2. & seqq. d. t. Posteriori casu constitui potest. Servitus non avertendi, quæ vicinus non potest aquam avertere, hoc fine, ut in vicini cisternam vel hortum fluat. Servitus fluminis est, quando vicinus cogitur pati, ut aqua pluvialis collecta per tubos & canales se effundat I. 1. §. 1. D. d. S. II. P. quæ dicitur avertendi seu recipiendi, non avertendi verò seu non recipiendi est, quando vicino non licet, flumen ex suis ædibus veniens, à nostro avertere prædio, cum tale flumen ad irrigandos hortos vicino prosit.

XVIII. Jus altius tollendi libertas dicitur, quatenus est libera facultas in suo in altum ædificandi & tollendi etiam in infinitum I. 24. d. S. II. P. I. 8. C. d. Serv. & aqu. ejus dicitur esse aer, cuius est solum I. 21. §. 1. I. 22. §. 4. D. Quod Vi aut Clam. nec prohibetur altius ædifica tollere, licet vicini ædes obscuret, I. 4. I. 14. D. d. S. II. P. I. 24. §. 12. D. Dam. inf. nisi libertas ædificandi restricta fuerit, sicut Romæ tempore Augusti Sveton. c. 89. Neronis Tacit. I. 15. Ann: Trajani Aurel. Vict. in Ep. Plin. I. 35. c. 14. quæ restrictio præcisè servari debet I. II. D. d. S. II. P. I. 1. 3. C. d. ædif. priv. I. 1. §. 17. D. d. nov. op. nunc: Sed quid Servitus altius tollendi sit, inter Doctores non convenit. Alii hanc Servitudem obtinere putant, quando v. g. statutis & Consuetudine certus ædificandi modus & terminus est receptus, ut nemo invito vicino altius ædificare queat. Et hæc est communis explicatio, tradita à Joh.

Fab



Fab.: in §. ag<sub>3</sub> j. d. Aet. & probata ab August. & Zas ibid. à quā etiam non longè recedit Charond. i. verifm. 5. ad l. Si priusquam d. Nov. op. nunc: tum dici existimans, quem jure Servitutis altius tollere, ubi prius statuto aut pacto certus modus ædificii fuerit præfinitus, ita dicitur Florentiæ non licere ultra certam mensuram, in-vito vicino ædes propter lumina vicini extollere Conſ. tr. d. Serv. l. i. hoc modo a vicino remisso jam jure Servitutis potius quam libertatis naturalis altius ædes tolli videntur, quod Vultej. i. Disc. 5. post Wesenb. in §. ag<sub>3</sub> j. d. Aet: ita limitat. ut tum demum obtineat, si Servitus nè altius tollatur, non simpliciter remissa sed cessa fit. Verùm hoc modo non constituitur Servitus, sed ante constituta tollitur & ædes in suam libertatem restituuntur Jason in d. §. ag<sub>3</sub> neq; illa cessio efficere potest, quo minus ædibus libertas restituta recte dicatur. Alii hanc Servitutem ita intelligunt, ut vicinus in meum commodum cogatur ædes suas altius tollere, ut ita prospectus in nostras ædes non pateat, veluti si per repercussionem lumen in ædes deferatur arg. l. 17. §. 2. d. S. U. P. vel si mercator dolosus umbrosas ædes vel tabernas habere velit, vel ne lumen officiat pannis aliisve mercibus mercatoris forte aut pharmacopolæ, quarum nonnulla lumina aperta ægrè admittunt, vel ut venti arcentur, si via vicina est alta, domus verò mea deppressa, ut vicinus in medio existens ædificando faciat, ne euntes per viam possint videare secreta domus meæ, fundamentum ponentes in l. 2. d. S. II. P. §. 2. j. d. Aet: Sed & hæc conjectura destruitur tunc quia de ejusmodi extraordinariâ Servitutis specie JCTi cogitasse non videntur, tum quia in d. l. non intenditur, ut vicinus altius tollat, sed ei jus esse, altius suas ædes tollere. Nec tenetur Servitutem debens facere, exceptâ Servitute oneris ferendi l. 15. §. 1. d. Serv. sed non facere aut pati Hillig. l. 11. c. 5. Aliter sentit Ludw. D. 5. ad j. 8. 6. lit. F. Hahnus in o. th. pr. ad Wes. d. S. U. P. probat jus altius tollendi recte referri ad Servitutes (1.) per text. in l. 2. pr. d. S. II. P. l. 2. d. S. P. R. l. 7. §. 1. Comm. præd. §. 2. j. d. Aet: l. i. C. d. Servit. & ag. (2.) quia exinde competit actio confessoria, realis & propria Servitutum §. ag<sub>3</sub> ib. j. d. Aet: arg. l. 2. Si Servit. vind. (3.) quia non parva est hujus Servitutis utilitas arg. l. 15. pr. d. Servit: his præmissis considerat Servitutem hanc dupliciter, vel ut vici-

nus



nus teneatur ædes suas altius tollere ad mearum utilitatem, ad quod ipsum cogere possum arg. l. 17. §. 1. l. 33. d. S. P. U. l. 15. d. op. nov. nunc. Vel ut vicinus ad suarum ædium utilitatem eas altius tollere queat, quod vicinus pati cogitur d. §. æq;. Sed hoc tenetur vicinus pati, quando non jure Servitutis, sed saltem jure Libertatis utor, hæc saltem distinctione locum habente, ut in jure Libertatis alius contra suâ libertate uti & contra ædificare possit, quando verò quis ob Servitutem altius tollendi pati tenetur, ut alter ad utilitatem suam ædes suas altius tollat l. 19. pr. D. d. Usufr. tum ob libertatem imminutam non potest contra ædificando in eandem altitudinem suum ædificium extendere Clariss. Dnus Struv. Ex. 13. θ. 12. Ilbi semel constituta Servitus altius tollendi, ut vicinus me invito possit ædes suas altius tollere, ego contra tollere non possum jure constitutæ illius Servitutis altius tollendi, quam alter habet formaliter, ego verò teneor pati, ut ille sic in meo luminibus meis officiat, ad quod ipsi servit prædium meum & minuitur, ipsius augeatur. Quo sensu quidem dici potest eum qui habet Servitutem altius tollendi ædes suas, activè & formaliter, per consequentiam quoq; passivè & materialiter in prædio vicini servitutem habere, ne vicinus contra ædes suas altius tollat, quia hoc ex constitutâ priore Servitute sequitur, ut in prædio servo sit Servitus, ne possit altius tollere Bach. ad Treutl. vol. 1. Disp. 17. θ. 3. Lit. D. Hahn. ad Weisenb. d. l.

XIX. Usufr. strictè significat jus Servitutis, & definitur à Paulo l. 1. D. d. Usufr. per jus tanquam genus remotum. Usufr. enim immediatè Servitutis personalis est species, & Servitus personalis est species Servitutis, ut docet Martianus in l. 1. D. d. Servit: quamobrem etiamsi jus hic Servitutem significet, nihilominus tam manet jus remotum genus. alienis rebus utendi fruendi salva earum substantia, quia perempta rei substantia interit Usufr. quam rationem proponunt Græci Interpp. ad Basil. L. 16. Tit. 1. cui interpretationi præavit Tribon: in l. 2. π. d. Usufr. dicens ex Celsso: est enim. Dictio enim indicat hæc verba, & conjungenda esse cum præcedentibus, & eorum rationem & declarationem continere, ut innotescat, quale jus sit Usufr. nempe ut finitâ substantiâ finiatur. Et hic est verus Usufr. qui antiquioribus Jurisprudentiæ temporibus

bus solus obtinuit, cum quasi Uſusfr. prorsus incognitus esset, quia res fungibles neq; naturali neq; civili ratione Uſumfr. admittebant, non naturali, quia Natura non patitur duo contraria in eodem ſubjecto, nec civili, quoniam Uſusfructus eſt Servitus l. i. D. d. *Servit:* quæ ex regulis Juris Civilis non potest coſtare in rebus propriis l. 27. D. d. S. R. P. l. 5. in pr. D. Si Uſusfr. pet. cujuſmodi ſunt res, quæ uſu consumuntur, qui ſine proprietate in accipientem non tranſertur l. 7. D. d. Uſuſr. ear. rer. Sed ſub Monarchia sanctitas Romanæ Jurisprudentiæ violata & factum SC. de quaſi Uſuſr. l. 3. & 5. D. d. Uſuſr. ear. rer.

XX. Originem habet Uſusfr. ſtrictè dictus ex Jure Civili. & quidem ex ejus parte, quæ vocatur media Jurisprudentia, ſic ait Uſopian. tit. d. Legat. §. Uſusfr. Uſusfructus jure Civili legari potest eorum rerum, quarum ſalva ſubſtantia utendi fruendi potest eſſe facultas, ubi Jus Civile medium Jurisprudentiam ſignificat, cum enim infirmitas humanae conditionis non ferat, ut aut Legiſlatores omnia comprehendere aut aperte ſcribere poſſint, ideò ut Pomponius ait l. 2. §. bis π. d. O. f. His legibus lati cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatis deſideraret prudentium authoritatem neceſſariam eſſe Disputationem fori, quæ media Jurisprudentia fuſit, & quaſi ſecretior quædam ac non ſcripta Legum Decemviraliū interpreta‐tio per traditionem à prudentibus ad prudentes traductam l. 10. π. d. Jur. Cod. Hæc Jurisprudentia pro dupli‐ci genere Servitutis induxit, ut Servitus urbana ita amitteretur, ſi Dominus prædii ſervientis biennio uſuepiſſet ejus libertatem, & ut altera hoc ſolo amitteretur, ſi Uſuſructuarius eā biennio uſus non eſſet. Sed totum hoc jus quod induxit media Jurisprudentia, conturbatum eſt in l. pen. C. d. Uſuſr. quia & rerum & temporum, & locorum & formæ amiſſio‐nis emendationem induxit, quoad res conſtituit, ut omnium Uſusfr. amittatur, tempus annale & biennale in longum produxit, quod eſt decem & viginti annorum pr. j. d. Uſuſr. cap. deinde präſentiæ & abſentiæ diſcriben conſtituit, quo de argumento fuſius M. Aurel. Galv. in Diff. d. Uſuſr. c. 6. Quō jure inductus fuerit Uſusfr.

XXI. Minus habet is, qui Uſum habet, quam qui Uſumfr. Hic utitur ad compendium & lucrum, ille ad neceſſitatem tantum. Hic alienare ſuum jus in alium potest, ille non potest §. i. j. d. Uſuſr. & Hab. In deſcriptione & diſtincione uſus ab Uſuſructu ma-

mē Tribonianus Antonium Matth. in π. Disp. 16. θ. 40. statuenterem §.  
1. j. d. lls. & Hab: ex l. plenum 12. §. 1. π. eod. imperfecte descriptum  
esse, principium videlicet tantum, in quo refertur sententia Nervæ o-  
missa correctione; Et Oldenburgerum in itiner. jurid: Tit. 5. §. 97.  
offendit, qui hāc utitur invectivā: *Tribonianus hāc in re non ita*  
*distinxit usum ab usufr. ut jure Naturæ debuiset.* Parcissimè enim  
& durissimè scribit. Si pecorum vel ovium usus legatus sit, neg<sub>3</sub> la-  
cte, neg<sub>3</sub> agnis, neg<sub>3</sub> lanā utatur usuarius, quia ea in fructu sunt.  
Planè ad stercorandum agrum pecoribus uti potest §. 4. j. d. lls. &  
Hab. das ist gar zu enge und mit einer kurzen Elen abgemessen. Ple-  
nius & benignius interpretandæ sunt ultimæ voluntates. Ego puto  
Tribonianum hic αβλεψιαν passum dum non perlegit d. §. 4. matri-  
culam quæ est in l. 12. §. 2. d. lls. & Hab. Uterq; secutus est Hottomannum in Epit. π. ad Tit. d. lls. & Hab. n. 4. qui Tribonianisocor-  
diam, uti ibi dicit, non satis admirari potest, qui in §. 1. j. b. l. istam  
Nervæ sententiam tanto veterum consensu explosam & repudiata,  
nobis tamen pro receptâ & probatâ obtruserit. Illud constat, aut  
quoniam animalium partus in fructu sunt, & vitulus vaccæ fructus  
appellatur in l. vaccæ 43. D. d. Evid: cui vaccæ usus legatus est, ad  
eum illius usus non pertineat, ac proinde non fuisse usuario locum  
illi nobili & vexatæ quæstioni. Sic se Doctores more gruum se-  
qvuntur, licet nullam reprehensionis causam indicare vel rationem  
reddere queant. Legis 12. §. 1. verba sunt: *Præter habitationē. quam*  
*habet cui usus datus est, deambulandi quoq; & gestandi jus habebit.*  
Sabinus & Cassius & lignis ad usum quotidianum & horto & pomis  
& oleribus non usq; ad compendium sed ad usum scil. non usq; ad  
abusum. idem Nerva: & adjicit stramentis etiam usurum sed neg<sub>3</sub>  
foliis, neg<sub>3</sub> oleo, neg<sub>3</sub> frumento, neg<sub>3</sub> frugibus usurum. Hæc est me-  
ri juris ratio, æquitatis & humanitatis est in seqq: Sed Sabinus &  
Cassius, & Labeo & Proculus hoc amplius, etiam ex his, quæ in fundo  
nascuntur, quod ad vietum sibi suis sufficiat, sumpturum & ex his  
quæ Nerva negavit. Ex quō liquet ait Bachov. ad d. t. j. calumnia  
Hottomanni, qui socordiam Tribonianii accusat, quam Antonius  
Matthæus & Oldenburgerus imitantur. Etenim proponitur hīc, quid  
mera juris ratio tribuit usuario, & quidem iisdem verbis, quibus in  
d. l. 12. §. 1. proponitur sententia eorum, qui ex æquitate aliquid am-  
plius tribuerunt Usuario. Nec magis calumniandus hīc est Tribonia-  
nus quam in §. 4. d. l. ubi eadem responsio repetenda est.

46(10)(90)

Kc 3004

ULB Halle  
003 757 714

3



Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter 1  
Sammelbd. ? oder  
Ludwaffene Werte ?

10.02.12





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



N. J.  
ITATIO VI.  
CTARUM  
ESIUM  
ERTI & CON-  
OVERSI

d. Reb: corp. & incorp.  
usufr. d. Usu & Hab: iisque  
Theod: Libb: βασιλικ. & ξ.  
pondentibus.

<sup>Quam</sup>  
PÆSIDE  
JE CHRISTO-  
RO *Golß*/  
I. D. & P. P.  
ES FRIDERICUS  
KY, Reg: Bor.  
PONDENS  
olicè defendet  
TORIO MAJORI  
. Icc. LXXXI.

FIOMONTI.  
REU\$NERIANO.